



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

X. De Ceremoniis Ecclesiasticis, Qvæ Vvlgò Adiaphora seu res mediæ &
indifferentes vocantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

virtutis & Maiestatis Dei sit collocatus: In his ergo mysterijs fides duntaxat est adhibenda, & verbum Dei firmo assensu retinendum est: sic solidam doctrinam, & veram consolationem (quod videlicet neq; Satan neq; ipsi inferi nos, omnesq; alios in Christum credentes, in potestatem suam redigere aut nobis nocere valeant) ex hoc articulo hauriemus.

X.

DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, QUÆ VVLGÒ ADIAPHORA seu res mediæ & indifferentes vocantur.



RITVM est etiam inter quosdam Augustanæ Confessionis Theologos diffiduum, de ceremonijs Ecclesiasticis, quæ verbo Dei neq; mandatæ, neq; prohibitæ sunt: sed bono consilio propter *virtutis* & ordinem, aut ad conseruandam piam disciplinam in Ecclesia vsurpantur. Vna pars sensit, quod persecutionis tempore (quando confessio fidei edenda est) etiamsi aduersarij Euangelij in doctrina nobiscum non consentiant, tamen sana & salua conscientia liceat, quasdam dudum abrogatas ceremonias (quæ per se adiaphoræ, & à Deo neque præceptæ neque prohibitæ sunt) postulantis id & urgentibus aduersarijs restituere, & hoc modicum ijs, in rebus illis per se adiaphoris conformem quandam rationem instituere posse. Altera verò pars contendit, quod persecutionis tempore (quando confessio fidei requiritur) aduersarijs illæsa conscientia, & sine iactura veritatis cœlestis, restitutione rerum adiaphorarum gratificari non possimus: præsertim, quando aduersarij hoc agunt, vt aut vi manifesta, aut

occultis machinationibus sinceram doctrinam opprimant, & paulatim falsa dogmata in Ecclesias nostras reducant.

Vt autem hæc etiam controuersia piè declaretur, & tandem per Dei gratiam componatur, candido Lectori simplicem & verbo Dei conformem sententiam nostram aperiemus.

Si quando talia sub titulo & prætextu externarum rerum adiaphorarum proponuntur, quæ (licet alius color illis inducatur) euerà verbo Dei aduersantur: ea nequaquam pro rebus adiaphoris habenda, sed tanquam verbo Dei prohibita vitanda sunt. Et sanè inter res adiaphoras non numerandæ sunt tales ceremoniæ, quæ speciem quandam præ se ferunt, aut quibus (ad effugiendam persecutionem) simulatur, quasi nostra Religio à Pontificia non multum distaret: aut certè, quasi ab ea non admodum animus noster abhorreret; aut, cum eiusmodi ceremoniæ in eum finem restaurantur, & earum restauratio ita accipitur, quasi hoc ipso dissentientes duæ illæ religiones iam in vnam redactæ essent, atque in vnum corpus coaluissent; aut cum periculum est, ne videamur ad Papatum rursus accessisse, & à sincera Euangelij doctrina recessisse, vel paulatim recessuri.

2. Cor. 6.

In hoc enim rerum statu maximum pondus habere debet illud Apostoli dictum: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut, quæ societas luci ad tenebras? &c. Propter quod exite de medio eorum & separamini, dicit Dominus.

Sed & hæc non sunt vera adiaphora, quæ neque ad obseruandum bonum ordinem, neque ad piam disciplinam conseruandam, neque ad *εὐταξίαν* in Ecclesia constituendam quicquam conferunt: sed præterinuites nugæ & puerilia spectacula nihil habent.

De re-

De rebus autem illis, quæ reuerà sunt adiaphoræ (quarum supra mentionem fecimus) hæc est fides, doctrina, & confessio nostra: quòd eiusmodi ceremoniæ per se non fiat cultus Dei, neq; etiam pars cultus diuini: sed inter illas & veros Dei cultus diligenter discernendum esse iudicamus. Scriptum est enim de humanis traditionibus: Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.

Matth. 15.

Credimus autem, docemus, & confitemur, quòd Ecclesia Dei, quibusuis temporibus & locis pro re nata liberrimam potestatem habeat, (in rebus verè adiaphoris) aliquid mutandi, abrogandi, constituendi: si tamen id absq; leuitate & scandalo, decenter & bono ordine fiat: &, si accuratè expendatur, quid singulis temporibus ad conseruandum bonum ordinem, & ad piam retinendam disciplinam, atq; ad *εὐταξίαν*, Evangelicam professione dignam, & ad Ecclesiæ ædificationem, quàm plurimum faciat. Quousq; etiam infirmis in fide, in rebus illis externis bona cum conscientia cedere possimus, Apostolus Paulus perspicuè non modò

Rom. 14.

Act. 16. 21.

1. Cor. 9.

verbis, verùm etiam suo ipsius exemplo docuit. Credimus, docemus, & confitemur, quòd eo tempore, quo veritatis cœlestis confessio requiritur (quando, videlicet, verbi Dei hostes doctrinam Euangelij opprimere student) tota Ecclesia, & singuli Christiani, præcipuè verò ministri verbi Dei (tanquam ij, quos Dominus Ecclesiæ suæ regendæ præfecit) teneantur, piam doctrinam iuxta verbum Dei, & quicquid omnino ad sinceram religionem pertinet, palàm & liberè non modò verbis, verùm etiam factis profiteri. Et sentimus, tali tempore etiam in rebus verè & per se adiaphoris, non esse aduersarijs cedendum: neq; permitendum, vt aduersarij nobis talia adiaphora (ad detrimentum veri cultus diuini, & ad plantandam & stabiliendam Idololatriam) obseruanda imponant & ob-

*Galat. 5.**Galat. 2.**Galat. 3.**1. Cor. 7.**Actor. 16.**Rom. 14.**Coloss. 2.**Galat. 2.**Galat. 2.*

tradant: siue id manifesta vi, siue dolis efficere conentur. Scriptum est enim: In libertate igitur, qua Christus vos liberauit, stete, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Et in eadem Epistola: Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierant, explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem redigerent: ijs neq; ad horam cessimus subiectione: ut veritas Euangelij permaneat apud vos. Manifestum est autem, Paulum ibi agere de circumcisione: quæ illis temporibus iam res adiaphora facta erat: & quam Paulus aliàs (in libertate tamen Christiana & spiritali) obseruare aliquoties solebat. Cùm autem Pseudoapostoli circumcisionem ad stabilendum falsum suum dogma (quòd opera legis ad iustitiam & salutem necessaria essent) vigerent, eaq; ad confirmandum suum errorem in animis hominum, abutebatur: ingenuè affirmat Paulus, quòd ne ad horam quidem ipsis cesserit: ut veritas Euangelij facta tectaq; permaneret.

Sic Paulus infirmis in fide cedit: obseruatione discriminis ciborum, & temporum seu dierum. Pseudoapostolis autem, qui hæc, TANQVAM NECESSARIA, conscientijs imponere volebat, etiam in rebus per se adiaphoris, cedere recusat. Et alibi inquit: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, &c. Et cùm Petrus & Barnabas ea in re Iudeis plus, quàm oportebat, cessissent, in faciem eis restitit: eò quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij.

In eo enim rerum statu non iam de externis adiaphoris agitur, quæ natura sua per se libera sunt, permanentque: vnde neq; mandanda sunt, neq; prohibenda, ut vel obseruentur, vel intermittantur. Sed agitur præcipuus religionis nostræ Christianæ articulus: ut nimirum VERITAS EVANGELII constet: sicut

Apollo-

Apostolus testatur. Veritas enim Euangelij obscuratur & labefactatur: cum adiaphora cum mandato & coactione conscientijs obseruandæ imponuntur. Quia ad confirmationem superstitionum, falsæ doctrinæ, & Idololatriæ, & ad opprimendam sinceram doctrinam & libertatem Christianam, vel palam ab aduersarijs requiruntur, vel certè ita ab ipsis recipiuntur & in hunc abusum & prauum finem restituta creduntur.

Præterea in hoc negocio agitur etiam articulus de libertate Christiana: quem diligentissimè conseruandum Spiritus sanctus per os Apostoli Pauli Ecclesiæ Christi, vt modò dictum est, seuerissimè præcepit. Quamprimùm enim articulus ille labefactatur, & humanæ traditiones per modum coactionis Ecclesiæ Dei, tanquam obseruatu necessaria, obtruduntur, quasi sine peccato negligi non possent, tum iam Idololatriæ magna fenestra est patefacta: vt deinceps humanæ traditiones cumulentur, & pro cultu diuino habeantur: neq; modò Dei præceptis exæquentur, verùm etiam illis longè præponantur.

Quin etiam eiusmodi intempestiua cessione in exterius illis rebus adiaphoris (vbi nondum de doctrina ipsa pius consensus est factus) Idololatriæ in sua Idololatria confirmantur. Contra verò piæ mentes, & verè in Christum credentes, contristantur, perturbantur, offendentur, & ipsarum fides, quasi ariete quodam grauitèr concutitur & quodammodo labefactatur: hoc malo ne occasionem præbeamus, summo studio (si modò æterna salus nobis cordi est) cauere debemus. Sic enim Christus dicit: *Væ mundo à scandalis.* Et *Matth. 18.* ibidem: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expediret ei, vt suspenderetur mola asinaria in collo eius, & demergaretur in profundum maris.*

In

Matth. 10.

Imprimis verò hoc Christi dictum alia mente est reponendum: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eum etiam ego confitebor coram Patre meo cœlesti.

Et sanè, quòd hæc semper fuerit clarissimorum Augustanæ Confessionis Theologorum fides & confessio de rebus Adiaphoris (quam & nos ipsorum vestigijs insistentes, profiteamur, & in ea constanter, per Dei gratiam, permanere cupimus:) id liquidissimè testimonia, quæ recitabimus, demonstrabunt: ea in Smalcaldicis articulis Anno &c. 37. consignata, & à præcipuis Theologis subscriptione confirmata sunt.

*Testimonia è Smalcaldicis articulis
Anno Domini 1537. conscriptis
deprompta.*

*De Eccle-
sia.*

*De ordina-
tione &
vocatione.*

Articuli Smalcaldici de hoc negotio sic loquuntur. Nequaquã hoc Episcopis (Pontificijs) concedimus, quòd ipsi sint Ecclesia: (quia nò sunt Ecclesia.) Neq; ea audiemus, quæ illi nobis sub Ecclesiæ nomine vel mandauerint, vel prohibuerint. Nam (Dei beneficio) puer septennis iam nouit: quæ sit vera Ecclesia: sancti, videlicet, credentes, & ouiculæ, quæ pastoris sui vocè audiunt. Et paulò antè: Si Episcopi restè officio Episcopali fungi, & Ecclesiæ regendæ atq; Euangelij propagandi curam seriò suscipere vellent, hoc illis, ratione charitatis, & propter bonum pacis (non tamen ex quadam necessitate) concedi posset, vt nos & Ecclesiæ nostræ Ministros ordinarent, atq; in functione Ecclesiastica confirmarent: remotis tamen omnibus laruatibus, ineptis & impijs nugis, atq; magicis pompis. Cùm autem neq; veri sint, aut esse velint Episcopi, sed potius huius mundi Principes ac Domini; qui neque concionantur neque docent: neque baptizant, neque

Cœnam

Cœnam Domini administrant, neq; vllum opus Ecclesiasticum facere, aut munus tale obire velint: quin potius eos, qui ad ministerium Euangelij vocati sunt, in exilium eiciunt, persequuntur, atque anathemate feriunt: præsertim Ecclesia Dei in ipsorum gratiam conuiuere non potest, vt interea idoneis ministris destituatur.

In articulo, de primatu Papæ, articuli Smalcaldici in hanc sententiam loquuntur: Quare, vt non possumus ipsum Diabolum ceu Dominum & Deum adorare: ita non possumus ipsius Apostolum, Pontificem Romanum, seu Antichristum, in suo illo imperio, pro capite aut Domino agnoscere. Mentiri enim, innocentem sanguinem fundere, corpora & animas in æternum exitium præcipitare, hæc sunt Pontificij regni propria.

Et in scripto, de potestate & iurisdictione Papæ, quod Smalcaldicis articulis annexum, & à Theologis, qui tum Smalcaldiæ erant, subscriptione confirmatum est, hæc leguntur: Nemo Ecclesiam Dei grauet proprijs aliquibus traditionibus. In hoc enim negotio fixum & firmum esse debet: quod nullius hominis potestas vel authoritas verbo DEI sit præferenda.

Et post aliqua: Quæ eum ita se habeant, omnes Christiani quàm diligentissimè sibi caueant, ne impiæ illius (Pontificiæ) doctrinæ, blasphemiarum, tyrannidis crudelissimæ participes sese faciant. Pontificem autem, membra & squamas eius, vt regnum ipsissimi Antichristi, auersentur atq; execrentur. Christus enim id præcipit, dicens: Cauete à Pseudoprophetis. Et Paulus præcipit, vt falsos doctores vitemus, & veluti abominationem quandam execremur, Nolite (inquit) *2. Cor. 6.* iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut, quæ societas luci ad tenebras? &c.

Graue id quidem videri potest, sese à tot regnis & populis seiungere & separare, & peculiarem quandam doctrinam profiteri. Sed clarum est Dei mandatum, quod præcipit nobis, vt omnes caueamus à consensu, cum ijs, qui vel falsa docent, vel falsam doctrinam immani crudelitate tueri conantur.

Tom. 3.

Ien. fol. 523.

Tom. 5.

Ien. Germ.

Sed & D. Lutherus in alio quodam scripto (in quo ad quæstionem de Ceremonijs in genere, de adiaphoribus verò etiam in specie quid sentiendum sit, docuit Ecclesiam Dei de hoc negotio piè & luculenter erudit. Et extant quædam ab ipso, anno Domini 1530. exarata, quæ magno cum fructu legi possunt.

Ex his omnibus perspicuè intelligi potest, quid vnamquamq; Ecclesiam, quid singulos Christianos, præsertim temporibus illis, quando Confessio fidei edenda est, in primis Ecclesiæ ministros, in rebus adiaphoribus, bona & illæsa conscientia, facere vel omittere deceat: ne Deus ad iustam indignationem prouocetur, charitas violetur, hostes verbi Dei animosiores redantur, & infirmi in fide offendantur.

I.

Reijcimus igitur, & damnamus hos errores: Quando humanæ traditiones per se pro Dei cultu, aut pro illius aliqua parte habentur.

II.

Quando humanæ traditiones per modum coactionis, tanquam necessariæ, Ecclesiæ Dei obseruandæ obtruduntur.

III.

Repudiamus & damnamus etiam eorum opinionem, qui sentiunt, quòd persecutionis tempore hostibus Euangelij (cum iactura certè veritatis diuinæ) in adiaphoribus restituendis gratificari, & cum ipsis, ea in parte, consentire liceat.

IIII.

Illud etiam crimine non vacare iudicamus, quando persecutionis tempore, vel in adiaphoribus, vel in doctrina, vel in alijs rebus ad religionem pertinentibus, propter Euangelij hostes, ipso facto aliquid committatur, quòd piæ Confessioni repugnet.

Reij-

Reijcimus & damnamus etiam eorum intemperantes, qui adiphora ea opinione abrogant, quasi Ecclesie Dei non esset liberum, (quous loco aut tempore) pro renata, & Ecclesie utilitate vnum vel plura adiphora recipere, & pro ratione libertatis Christiane surpare.

Iuxta hanc de adiphoris doctrinam, nulla Ecclesia propter ceremoniarum dissimilitudinem (quarum alie pro ratione libertatis Christiane pauciores, alie vires obseruant) alteram condemnabit: si modò in doctrina, & in omnibus illius partibus, atq; in legitimo Sacramentorum vsu concordēs fuerint. Verus enim & memorabile dictum est: Diffonantia ieiunij non dissoluit consonantiam fidei.

XI.

DE ÆTERNA PRÆDESTINATIONE ET ELECTIONE Dei.

De æterna electione filiorum Dei inter Augustanæ Confessionis Theologos nulla hætenus aperta & cum scandalo coniuncta lateque sparsa controuersia exorta est. Quia verò apud externos de eo articulo vehementer disceptatum est: & inter nostros etiam homines aliquid gliscere cepit: & Theologi non semper similes de hoc negotio sermones viurpant: studebimus per gratiam Dei in eo elaborare, vt, quantum quidem in nobis erit, omnes dissensiones & schismata apud posteritatem nostram præcaueantur. Itaque illius articuli declarationem huic scripto inserere placuit: vt omnibus manifestum fiat, quæ etiam de hoc articulo nostra fides, doctrina, & confessio sit. Neque enim

sentien-

V.